



IVLII CAESARIS BVLENGERI

Præfatio

PISIS HABITA ANNO M.DC.XIX.





VOD portiſculi olim, & incentores in triremibus factitare ſoliti erant, vt remigibus celeuma canerent, & diuturno labore fractis animos cantu adderēt, itidem hodie mihi faciendum eſſe video, vt ingenuis adoleſcentibus ad florentem hanc Academiam, velut ad nobile literarum emporium confluentibus celeuma canam, & vltro currentibus ex veteri more calcaria ſubdam. Equorum curſus (ait ille) fauore pernicior fit, pugilum fortitudo clamoribus incitatur, paratas ad proelium acies, ſtrictoſq; mucrones vox Imperatoris accendit. Quanto iuſtius eſt, vt paratos ad literarum ſtudia iuuenum animos cohortatio dicentis inflammet: mihi tamen in hoc munere minus eſſe laborandum animaduerto, quod remiges fere inuiti, ac recuſantes ad remum adiguntur, vos ſponte, ac volentes ad hanc ſtudiorum velificationem concurritis, militibus periculi metus animos frangit, vobis in hac litteraria concertatione præmij ſpes animos facit, pugilibus labor, & incerta victoriæ languorem afferunt, vobis ipſa literarum oblectatio ad victoriam anhelantibus mirifice blanditur. Magnos a parētibus ad literas impetus, maiores ipſimet a vobis affertis, vt non tam ſtimulis quam fræno veſter ille animorum ardor egere videatur. quia tamen Academiæ lexita

A *fert,*

fert, vt auſpicali ſtudiorum die aliqua cohortationis ſpecies, ex hoc loco vobis adhibeatur, conſuetudini parebo, & de literarum dignitate pauca pręfabor, magis quidem, vt Academię inſtituta maneant, quam vt veſtra illa ſingularis animorum alacritas vehementius incitetur. Quod dum ſtudioſe facere conor a vobis vehementer etiam atque etiam peto, & contendo, vt breuiſſimi temporis audientiam mihi ne denegetis.

Veteres Phyloſophi, inter eos, qui literis penitus imbuti eſſent, & eos, qui bonarum artium rudes in tenebris iacerent, plurimum intereſſe cenſuerunt, quod illi animum multiplici cognitione perſpicacem haberent, hi barbarie, & inſcitia cæcum, illi in priuatis publiciſq; negocijs acuti, ſolertes, ſynceri eſſent, hi obtuſi, babetes, peruerſi, illi in colloquio, & conuentu elegantes, humani, circunſpecti, hi ſtolidi, agreſtes, inhumani, illi efferentibus ſe ſe animi motibus rationis frænum inijcerent, hi pręcipiti naturæ impetu veluti bruta animantia temere ſe ferri paterentur, illi vera bona quę in animo ſita ſunt ambirent, hi falſam boni ſpeciem, & omnes vanæ glorię vmbras conſectarentur, illi pacem, & otium in Ciuitatibus, hi odia, & turbas ſererent, alerentq;, illi denique Deo immortali propiores, hi feris immanibus haud abſimiles eßent. Diogenes certe Cynicus ſapientiæ laude celeberrimus inter hominem doctum, & indoctum tantum intereſſe ſtatuebat, quantum inter ęgrotum, & Medicum, quia vt Medici corporis, ita docti animi vulneribus medeantur, Ariſtoteles quantum inter coecum, & oculatum, quia ſicuti oculus ab aere, ita & animus à ſcientia lumen mutuetur, Heraclitus quantum inter hominem mortuum, & viuum, quia ſicuti mortui ſine ſenſu inutile terræ pondus iacent, ita & indocti ſine intellectu ſibi ſuiſq; oneri ſunt, & inutile terræ pondus circumferunt, Anaxagoras quantum inter Deum, & hominem, ſicuti enim Deus res hominum nutu ſuo regit, & temperat, ita & docti res imperitæ multitudinis arbitratu ſuo moderantur, canente Poeta.

Ac veluti magno in populo ſi forte coorta eſt
Seditio, ſæuitq; animis ignobile vulgus,
Iamq; faces, & ſaxa volant, furor arma miniſtrat,
Tum pietate grauem, ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexere ſilent, arrectiſq; auribus aſtant,
Ille regit dictis animos, ac temperat iras.

Socrates

Socrates diuitem indoctum asinum coronatum, aut mulum phaleris aureis ornatum esse asseuerabat, Caligula Imperator pecudem auream, Aristippus lapidem, aut lignum inauratum. Quo pertinet apud Ausonium elegans Epigramma de Ruffo quodam homine imperito.

Rhetoris hæc Ruffi statua est, si saxea, Ruffus,
Cur id ais? semper saxeus ille fuit.

Quare Xenocrates in theatro lapides lapidibus insidere dictitabat. Mitylenęi certe tantum in literis momenti esse existimabant, vt hostibus victis non aliud mulctæ indicerent, quam vt ab ingenius artibus, & sapientiæ studijs abstinerent. Quorum exēplo Iulianus ille desertor Christianis veterum acutorum lectione, & bonarum artium institutione interdixit. Clisthenes quidem vir sapientissimus Sicyonios Græciæ populos a literis maxime abhorrentes suarios, & asinarios appellitabat, quod sues in cæno volutati oculis ad terram affixis Cælum numquam suspiciant, nec vllo citharę cantu moueantur. Quare & Marsiæ tibicini imperito, qui cantu cum Appolline certare ausus est suillam caudam veteres addiderunt. Eosdem & asinarios ille vocitabant, quod asini ad cætera auriti ad lyram obsurdescant, & incondito ruditu musicam perturbent, ideo & Aegyptij vt hominem indoctum Hieroglyphicis suis literis pingerent, asinum inter flores, & vnguenta statuerunt; Cum autem homines indoctos omnis antiquitas eiusmodi ludibrijs adumbrarit, tum vero viros eruditos honorificentissimis titulis ornauit, eosq; Regum, Sacerdotum, & immortalium nominibus insigniuit, vnde & Manilius optimus Matheseos auctor regales tantum, & generosos animos literarum studijs incendi scribit his verbis.

Et se natura reclusit
Regales animos primum dignata mouere
Proxima tangentes rerum fastigia Cælo;
Me vero primum dulces ante omnia Musæ,
Quarum sacra fero ingenti perculsus amore;
Accipiant, Cœliq; vias, ac sydera monstrent.
Felices animæ, quibus hæc cognoscere primum;
Inq; domos superas scandere cura fuit
Credibile est, illos pariter vitijsq;, iocisq;
Altius humanis exeruisse caput.

Iidem Sacerdotes dicti sunt canente Poeta;
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per graios orgia ferre modos.
Nos sacri vates, & Diuum cura vocamur.

Ipsi etiam Iurisperiti ab Vlpiano iuris, legumq; sacerdotes vocantur, quia nullum Deo sacrificium iustitia quam eruditio alit acceptius esse possit; eosdem immortales dictos esse argumento est Abaris Hyperboreus, qui terrarum orbem more sagittæ puncto temporis peragrauit: cum enim sæuiente peste de eo quęsitum esset, qua ratione pestilens annus conquiesceret respondit, si populus immortalium pro rudi, & imperita multitudine Deo preces obtulisset, immortales eos interpretatus, qui literarum gloria celebritatem nominis consequuti essent. quemadmodum enim obelisci cum labore statuuntur, sed æuis durant, ita & scientia labore parta immortalitate donatur. Ipsa eruditio torrens sapientię in sacris literis indigetatur, à quibus non abludit Poeta hoc eleganti Carmine.

Monte decurrens velut amnis, imbres quem super notas aluere ripas feruet, immensusq; ruit profundo Pindarus ore. Quemadmodũ enim Nilus æstiuis pluuijs auctus sitientes Aegypti agros eluuione sua conserit, & oblimat, & vt irrigui fontes prata floribus, camporum ęquora fructibus vestiunt, ita & omnis florum suauitas, & fructuum vbertas ab eruditione manat. Isidem scientiæ Deam fuisse Plutarchus ait, quę medicamentum immortalitatis apud Aegyptios repererit. In eius sacris Apuleio narrante linteati Sacerdotes lucernam, Altaria, palmulam, caduceum, lac, & vannum solemni supplicatione circumferebant, lucernam quidem, quod literę cæcis, & caligantibus animis lucem alluceant, Altaria quod pietatem infundant, & Dei cultum hominibus instillent, palmulam quod in rebus arduis victorię viam aperiant, caduceum, quod pacis studia commendent, lac ob niueum candorem, & insitæ suauitatis dulcedinem, Vannum quod falsa separent a veris, & inutiles paleas ab vtili grano excernãt. Eodem argumento in Antiochi Syrię Regis nummo noctua, quæ scientię symbolum est supra leonem humi procumbentem expansis alis volitat, vt eruditione feritatem, & barbariem emolliri, & corporis robur scientię cedere significetur. non alio aspectu, scribit Pausanias Athenis Mineruam talari veste amictam ægi-

de pecto-

de pectori insidente manu hastam dracone circumplicatam vibrare, vt in talari veste scientiæ maiestas, in ægide sapientia, quę literarum hostes in lapides versos silentio damnat, in dracone quod immortale animal habetur, & in hasta, quam pro Deo veteres coluere, vis eruditionis immortalis exhibeatur. Quare & Herculis hasta cor Plutonis inferorum Dei confossum esse uolunt, vt ea res argumento esset, mortis vim, & efficientiam literarum studijs extingui, nec quidquam adeo reconditum esse, quod subtili disquisitione non inuestigetur. Eadem mente apud Pausaniam Athenienses in cuspide hastæ Palladis Sphyngem ænigmatum interpretem expressere, quod nihil adeo sit abditum, nihil tot ænigmatum inuolucris implicitum, quod literarum luce non illustretur. Adde, quod nulla est ad virtutem, & bonores expeditior via, quàm per literas, & eruditionem, quod Symmacbus Romę significatum esse ait, vbi virtutis, & honoris delubra cum sacri fontis, & Camænarum religionibus coniuncta fuere. Hæc inuolucra sunt, hęc integumēta quibus ueteres illi sapientiæ Antistites eruditionis amplitudinem veluti penicillo delinearunt, quæ cum in Italia terrarum orbis principe semper viguerit, magnifice de vobis sentire debetis, ingenui adolescentes, qui acceptam a parentibus gloriam alitis, augetis, & sedulo propagatis. Nec enim alibi eruditio in pretio est, quam apud eos, qui excellentibus a natura ingenijs præditi sunt. Quemadmodum enim Nilifons in Aethiopiæ solitudinibus inter bruta animantia latet, in Mauritania, vbi homines visuntur, emergit, in Aegypto, vbi honestę artes ab omni memoria enituerunt, agros vberi limo fœcundat, ita, & hoc nostro sæculo literę apud Turcos, & Tartaros velut inter bruta animantia latent, in Italia ingeniorum, artiumq; parente maxime vigent. Naturæ periti cancros fluuiorum accolas aiunt Hyeme marcescere, & exsuccos fieri, vere & autumno, quo tempore mitioribus astris afflantur adipatos suauissimi succi esse, ita & ingenuæ artes apud barbaros veluti hyemis frigore constrictæ marcent, in Italia, vbi grata veris amœnitas, & benignius Sydus aspirat feliciter efflorescunt. Quemadmodum enim Cynorrhodi folia beluis pestifera sunt, hominibus salutaria, ita & literæ barbaris, & feris animis exitio sunt, elegantibus, & politis saluti, & vti cornua Vnicornium fontes, si quid forte veneni subest, attactu suo purgant, & cæteris ani-

mantibus innoxios præbent, ita & literæ ex animis hominum uitium omne exurunt, & sitientibus sapientiæ fontes aperiunt, qui tamen non vt leuia metalla in superficie glebæ, sed vt opulenta, & aurea in ipsis naturæ visceribus inquirendi sunt. In Chio Aegæi maris insula ædem Dianæ fuisse aiunt, in qua Deæ simulacrum ineuntibus triste, & retorridum, exeuntibus hilare, & lætum esse videretur, ita & principia literis discentibus aspera sunt, difficiles aditus, in post principijs ait Varro plenissima voluptas, exitus læti, & faciles reperiuntur, si modo aliquid ad literarum studia perseuerantiæ adhibeatur, & quod Athenienses olim in Prytaneo fecerunt, vt fugitiuum Argonautarum lapidē plumbo adstringerent, ne iterum abscederet, ita & vos ad literarum studia fugitiuum animum veluti plumbo deuinciatis, ne à serijs ad ludicra transfugiat, & sapientiæ fontes non summo tantum ore, sed pleno gutture, vel potius toto pectore concipiatis. quemadmodum enim Scyræus lapis integer quacūque tandem mole, quocunque pondere sit nunquam aquis mergitur, si confractus, & deminutus fuerit illico sorbetur, ita & eruditio integra, solidaq; nullo fortunę impetu mergitur, contrita, ac deminuta quolibet casu perit, & profundis hauritur. Quæ cum ita sint, ingenui adolescentes, in literas fortiter incumbite, in quibus humanæ felicitatis summam veteres Philosophi reposuere, & nobilem, ac plane regium animorum cultum auide combibite, nolite Turcos, & Tartaros imitari, qui beluarum more sine literis, & disciplina vitam agitant. Nihil est, in quo felicius validissima vestra ingenia, quam in literis acquiescant. Doctores habetis, in quibus non minus est eruditionis, quam in docendo facilitatis, & in colloquijs humanitatis. Nolite committere, ut ignauia uestra suauissimus, pulcherrimusq; literarum fructus uobis excidisse uideatur. Dixi.

PISIS, Apud Ioannem Fontanum, 1619.
Superiorum permissu.